

NUPTIIS AUSPICATIS

Ornatissimi, virtute Liberali q̄; do-
ctrina præditi, Juvenis Viri

DN. MARTINI

FABRI CIVIS BERN-
burgensis; Reverendi Doctissimi q̄;

Viri

DN. MATTHIÆ FABRI Pastoris in Bade-
born vigilantissimi; FILII,

SPONSI,

ET

Lectissimæ, Pudicissimæque Virginis

MARTHÆ, Amplissimi, Integerrimi q̄; Viri

DN. DAVIDIS TAPPII, Satrapiæ Bernbur-
gensis Præfecti dignissimi, FILIÆ,

SPONSÆ

Connubiis Sacris initiatorum Id. Septemb.

A N N O

McCænas ata VI s e D I t e reg I b V s,
gratulantur amici.

SERVESTÆ

Prælo Dörfferiano.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the name "D. MARTIN" and other illegible words.





EPITHALA- MION.



Sse DEUM, ut geminus codex traditq;
probatq;:

Sic uno, fidei mystica dia patent:
Scripturæ est unus, Naturæ est alter: at ille
De *Christi*, in nostrum est testis, amore, genus.
Nos amet is quantum, certè documēta tot extāt,
Pertulit innocuus quod proba dira necis:
Idem amor in Sponsi, Sponsæq;, elucet amore;
Sponsus enim cætus dicitur estq;, sacri.
Ergo velut Sponsus Sponsæ pius ardet amore;
Sic *Christum* nostri providus urit amor.

Quisquis amore autem cupit hoc gaudere, ne-
Illius gressus sub cruce sponte sequi: (cesse est
Scilicet ut parili Mas, Fœmina, sorte tenentur,
Seu tollat lætum, triste tegatve caput;

Sic & in hoc mundo cum *Christo* cuiq; dolendū
Gaudia quem cœli non peritura juvant. (est,

Aspice, quam monstrant Joanni oracla puellam
Cœlesti verbi semine quæso gravem.
Vestitus cujus Titanis more coruscat,
Quæ subtus Lunæ cornua calce premit:
Non calamistratis tumet ambitiosa capillis,
Stellis, gemmarum sed vice, fronte micat.
Aspice quæso istam, querulosq; attēde dolores,
Ipsi quos partus tormina sæva cient:
Est quippe insignis *Sponsæ* cœlestis imago,
Evomit ad versus quā Draco flumen aquæ:
Ringitur invidia siquidem, quia prole renata
Amplificat *Sponsi* cælica regna sui.
Hujus progenies Divæ sit Matris oportet
Æthereo charus qui cupit esse *Patris*.
Squaleat ærumnis, ac horrida tesqua sequatur,
Namq; suos semper curat, amatq; *Deus*.
En generosa *Rosa* est, *Spinæ* quæ germinat *inter*,
Nec, spinarum hamis cur moveatur, habet.
Quàm pulchrè splendet, quàm suaves fundit o-
Istud eoq; magis, quò magis atteritur! (dotes,
Rumpatur mundus, rabies frangatur abyssi,
Inde medio Pietas alma furore viget.
Quàm gratus Superis odor est fideiq; , speiq; ,
Quo fragrant inter dura rubeta pii!

Dux

Dux inter medios *Christus* dominatur ut hostes;
Sancti ita de mundo mille tropæa gerunt.
De Spōsa hæc *Christi*, nec non de forte Piorum,
De vera Superi progenieq; *Patris*.
Quid dicam Satanae, Babylonis Thaida, sponsam,
Quod fronti inscriptū nominis omen habet?
Grandi vecta ferâ coccoq; superbit & ostro,
Nominibus tetrīs at fera tota scatet:
Pota: sed haud vivo; Sanctorū sanguine pota est,
Queis curæ Jesu dicere grata fuit:
Cerberēis spumis, Erebeæ felle colubræ,
Hippomanesq;, manu pocula mixta tenet.
Quis neget hoc thalamo genitos prodire sub au-
qui temnunt reprobo pectore jussa Dei? (ras,
Imponit *Christus* sua nomina talibus ipse,
Affirmans Satana de genitore fatos:
Haud fanè, quòd sint Satana mediante creati,
Verūm quod Satanae grata subinde patrent.
Naturâ ex patris qui vespere, manè, laborant,
Exitium Sanctis *Christe* parare tuis.
Sincerus Pastor Sponsam secernit utramq;;
Quæ fugienda monēs, quæq; sequenda docēs;
Et pius Auditor, cui cordi vita perennis,
Dicta sui cupidâ Flaminis aure bibit:

Impius at contrà pergens audentior ire,
Usq; adeò mores non regit inde suos;
Fascinat, ut potiùs, veluti quem virus Echidnæ,
Impugnare aufit mœnia celsa DEI:
Fulgure de cœlo Saulus jacet ictus, & audit:
Saule quid in me tam bile nocente fremis?
Quod tuus ut Genitor munus *Martine* peregit,
Christo operam navans ore, labore, fide;
Talem quò Nympham quãdoq; adduceret ipsi,
Cui studium tota mente placere DEO:
Sic illam voluit tibi conciliare Puellam,
Ad quam dixisti: tu mihi Sola places.
Inter tot placeat quòd sola hæc, mira videri
Res queat, expendit qui pia Fata minùs!
Multos Forma movet, sunt quos invitat Ophy-
Ultima sed non dos in Pietate sita est. (rum;
Virtus virgineo tibi, corde, Cupidinis arcus,
Ossibus inde tuis ima medulla calet.
Aspexisse jubet Matrem veneranda vetustas,
Felicem satagit quisquis inire torum;
Emollire animum visumq; est Matris iisdem
Antiquis, Gnatam ducere si quis avet:
Cùm tibi mens Matris, *Marthe* moresq; proba-
Exploras animi sensa deinde Patris: (ti,
Inte-

Integritate sua, quoq; est spectatus Honore
Annuit is, Generum te facit atq; suum.
GAUDE quod compos voti sis factus, Amicam
Et partem nôris corporis esse tui.
TEUCRION in vestro non pectore marceat un-
Que Deus in sevit germina, servet Amor: (quã,
Horti, Conjugium sit vestrum, fertilis instar,
Qui reddat fructus, sicut oliva, suos:
Inserti hi vitæ flore bunt Arbori Jesu,
Martine & Martha flore beatus eris.

M. Simon Reinhart Domascenus,
Sincerioris Theologiæ
præco.



ALIVD.

Gratatus quondã thalamũ, Martine, parenti,
Cur tibi non tadas gratuler hasce tuas;
Cum nempe exemplo doceas viro ipsemet, isthæc
Pondus apud summum vota habuisse Deum?
Felix namq; pater fabrilem exercuit artem,
Et fabrica in multos crevit adaucta fabros.

Tu

*Tu quoq; cum Marthâ sic multiplicare: sit ardor
Mutuus, & socio crescat ab igne torus.
Inferre ferrum igni: moveant follem astra; genusq;
Fabrorum hoc supero sospitet igne Deus.*

Comprecando deproperabat

Tobias Stosnack Trachelius,
P.T. Substitutus Mansfeld.



PHALEVCVS

*Neonymphis Martino Fabro Juveni politif-
simo, Et Martha Tappiana puella
lectiss. gratulationis ergo
pactus.*

Quis plebis strepitus novus? Tubarum
Quis Clangor? nova festa quæ parantur?
Doctrinâ, pietate, moribusq;
Culto, jungitur en puella culta,
Cui natura parens venustiore
Mores cum facie dedit pudicos.
Æquali coëant proinde jure.

Adsit

Adsit conjugii benignus autor
His sponſis Deus, atq; largiatur,
Ut fauſto omine ducat hic maritam,
Et fauſto omine nubat hæc marito.
Martinus teneat ſuam pudicis
Martham amplexibus; Hæc ſuoq; blandè
Nectatur: Pietas comes ſit uſq;
Sic *Jehova* novum torum fovebit,
Ut lites procul hinc gravesq; curæ
Abſint, & ſoboles tenella vitam
Reddat conjugibus beatiorem.
Idem cuncta benigniore dextrâ
Concedet bona, quæ requirit uſus.
Ut ſic vita beatiùs peracta
Ambobus pyliam ferat ſenectam.

à Johanne Fuhrmeiſtero
Præt. Bernb.



Επίγραμμα γαμικόν.

Cum paucis conſtet moderanda regula vitæ,
Regula, quæ cunctis arripienda foret.

B

Tu

Tu Fortunatus, Faber, es Fabricator olympi
Cui dedit ex multis hanc didicisse libris.
Gratulor ergo tuis captis, doctissime Sponse,
Quod licito vetitas pellis amore faces.
Pellis amore faces, quæ mundi maxima sæpè
Lumina fecerunt sub Phlegethonte mori.
His ita depulsis, placidas tuus ignis habebit
Auras, materia divite dignus ali.
Innumeris alet hunc studijs, curisq; fovebit
Sponse, bonis fatis quæ tibi sponsa datur.
Sponsa datur, sed sponsa gravi pietate refulgens,
(Ut tu sponse vides) Et gravitate pia.
Adde pudicitiam, sine quam pulcherrima Nympha
Pulchra nequit dici, pulchra nec ulla fuit.
Hanc vitæ comitem quia nactus es omine fausta,
Quid dubitas, fausto, cetera ferre, DEO?
Fide DEO, castam letus complectere costam,
Quæ bona, quæ mala vult mente subire parj.
Hæc demum pietas, se non subducere nimbo,
Cum Deus ac homines intonuerit simul.
Inter vos igitur (latiâ ceu dictio lingvâ
Signat AM A) precor ut mutuus adsit amor.
Nam quem reddit AM A, solito si more legatur,
Hunc Et AM A sensum, si relegatur, habet.

Vel

*Vel ceu Nomen idem sponsi cum nomine sponsæ :
Sic ambos idem ducat & urat amor :
Absit Eris, dubio miscens crudelia pomo
Furgia: Sed thalami pronubus adsit Eros.
Adsit eros, adsit sano cum corpore sana
Mens, adsit toto quicquid in orbe bonum.*

M. Martini Sommerj.



ALIVD.

Casta placent castis superis data vota piorū,
Fædere quos mutuo consociavit amor.
Sanctius hoc toto non invenietur in orbe,
Trinus quòd binis jungitur ipse **DEVS**.
Res sanè non illa levis, speculumq; salutis,
CHRISTVS quū **LECTAM** novit amore suam.
Ergo pari studio vigiles, doctissime sponse,
Consona quòd fati sint pia vota tuis.
Quam namq; optasti notam pietate parentum
Marthā, haud jã voveat Marte sed **ARTE** tibi.
Sufficit invidiā te non caruisse, quid obstat?
Bella puella favet, sponsa petita manet.

B 2

Hac

Hac cum pacatè præsentibus utere rebus,
Hac sociâ Domino vive valeq; diu.

Andreas Orlaub.



ALIVD.

GAude, Sponsa soror, gaude mea Martha, ma-
Martino, tibi jam qui dedit ore fidem. (rito
ORE fidem dedit, ipsâ cominus estq; daturus
RE, res fortunet Jhova juvetq; tuas.
Jhova juvabit, ut is, qui non dubitavit AMORE,
MORE pio, mihi tu, dicere, sola places,
Te tueatur, amet, veneretur, Erinnyes ipsæ
Quod non impedient, fraude nec ullus homo.

David Tappe
Sponsæ Frater
Amore
More
Ore
Re.

ALIVD.



ALIVD.

Frugifer, ô letum tempus! sua munera præbet
Autumnus, tumidos jam botros vinitor aufert
Cultro agili, letus pressurus dulce falernum.
Jam pyra, pruna, nuces, jam carpit poma per hortos
Fecundos, (postquam ipse per arva reponit aprica
Fruges quas curvâ prostrârat falce) colonus.
Iam quoq̃, leta dies, puro signanda metallo,
Affulget, Martine, tibi, qui munera præbet,
Munera tâta quidē, queis cedit quicquid amenū,
Quicquid jucundum, stacten syriumq̃, liquorem
Aut redolet, casiamq̃, & amomi suavis odores.
Munera tantâ, ferūt quâta haud cū Casare Reges.
Nam tibi non phiale, nec amictus murice tinctos,
Nec tibi Chrysolithus: Iova ast duce & auspice Iova,
Castatori consors, mundi dos maxima, cedit.
Fert igitur mea mens gratanti fundere voce
Versus, letitiæ nova carmine signa daturus.
Huc igitur tu Flora, simul Galateaq̃, vosq̃
Æquoris Ausonii Sirenes, numina blanda,
Huc agili properate gradu, date gaudia mecum,

Dicite lætantes hymeneia carmina Nymphæ
Federe namq; sacro thalami formosa locatur
Nupta pio juveni virgo, cui Marthula nomen,
Tappiadum de stirpe sata, florentibus annis,
Quã pietas, pudor & castus commendat & ornat.
Huc quoq; Najadũ, turba huc Charitumq; sacrata,
Vos simul huc Dryadesq; leves, hilaresq; Napeæ,
Huc agili properate gradu, date gaudia mecum,
Dicite latantes hymeneia carmina Nymphæ,
Cypria virgo pari nunc jungens federe mentes,
Et Sponsi & Sponse nunc candida pectora strinxit,
Hinc est una fides, amor unus & una voluntas,
Basia mille capit, dans SPONSO basia mille.
Huc quoq; ter trinis Musis comitatus Apollo
Pieridum præses, Parnassi ex culmine montis,
Huc agili properato gradu, dato gaudia mecũ,
Conjugibusq; novis optes faustissima quæq;
Ergo sacris faveant caelestia numina ceptis,
Non noceant Furie stygio cum Demone diræ,
Cedat Eris, cedat fraus omnis, cedat & omne
Quicquid obesse potest vobis statuiq; jugali.
Vivite concordēs, concordēs vivite, vive
Sponsa sibyllinos, Sponse ad tu Nestoris annos.

MAR.



MARTINUS FABER
MARTHA TAPPIA.

αναγραμματικῶς

Arrham sumit, aptat fabrè, pian?

Sic est: conjugium DE I sacratum
Est verè omnipotentis institutum,
Fæmellam hic voluit simul maritum
Semper vivere amore conjugali.
Ergo ne renuas, rogo, puellam
Fauftis auspiciis piisq; votis,
FABRICI, tibi jungito pudicam,
Et forma & facie optimè intentem.
Nunc tam junge pian tibi puellam,
Quid cessas; PIAN' esse fertur illa?
Est certè pia moribusq; casta,
En ARRHAM pia SUMIT, AP T A T ipsa
Quam FABRE digitis suis decoram.
Vobis ipse DEUS Jehova firmo
Semper præsidio suo adsit omnem

Per

Per vitam, auxiliumq; largiatur
Ut totum bene transigatis ævum
Sancta in pace & amore conjugali.

Godefridus Schauer
S.S. Th. Stud.



O D E

Ad DN. SPONSUM.

Vixisti lepidis nuper idoneus
Musis, dum juvenem, non sine spe bonâ,
Te patris monitu juvit in artibus
Vitæ ponere tempora.
Vixisti Domino, qui studiis præest
Horum, qui timido pectore sum colunt,
Tunc, Martine, simul gratus, amabilis
Vixistiq; parentibus.
Verùm Cunctipotens, qui regit omnium
Mentes, consiliô ac arbitriô suô
Rem sic disposuit, sic animum tuum
Flexit, Pieridum ut chorô

Hic

Hic misso egregio, vitæ aliud genus,
Æterno, eligeres, quod placeat DEO,
Æquè in quo pietas, veraq; castitas,
Ac dilectio splendeat.

Ergò, dum monitis moriger es tui
Patris, quò sociam scilicet integram
Vitæ ritè petas, moribus optimis
Ornatamq; puellulam;

En Te, Sponse, Venus blanda Cupidinum
Mater, mox trahit in castra sua, ac tuum
Accendit licitis pectus amoribus,
Te ipsum surripiens tibi,
Ac monstrat lepidâ fronte puellulam,
Splendentem Pariò marmore purius,
Gratâ detineat compede, quæ tuum
Cor mentemq; tenaciter.

O felix igitur Tu ter & amplius,
Mi Martine, piis orbe parentibus,
Dum dilecta tuum ducitur in torum,
Torrenste face mutuâ!

En quàm grata tibi dividet oscula
Virgo hæc, quàm facili sævitiâ abnuet,
Quæ poscente magis gestiat eripi,
Æquans munia comparis!

C

Hoc

Hoc lætare igitur munere jugiter,
Proq; isto meritæ grata libamina
Laudis solve D E O ; dilige Conjugem
Dilectam penitus tibi.
Vobis porrò precor pectore candido,
Albâ ne careat pulcra dies natâ,
Et vos cunctipotens servet & offerat
Largâ, quod satis est, manu,
Ut vestramq; piâ prole beet domum,
Vos in conjugio vivere Nestoris
Concedatq; dies; pòstq; novissimum
Vos cœlo excipiat diem.

Carolus Borneman Ballenstedt. An-
haldinus, S S. Theol.
Stud.

F I N I S.





Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich
Buchbindereimeritor
Merseburg a. S.

1017







B.I.G.

Farbkarte #13

LICATIS
 liberaliq; do-
 nis Viri
TINI
 S BERN-
 Doctissimiq;
 Pastoris in Bada-
 ; FILII,
 I,
 næque Virginis
 itegerrimiq; Viri
 , Satrapia Bernbur-
 mi, FILIAE,
 Æ
 m Id. Septemb.
 O
 te reglbVs,
 ici.
 Æ
 riano.

55

